

CAPUT XIX.

De morbis venereis.

LUES venera, magnum illud scortatorum flagellum, opprobrium foret Medicorum, ni feliciter illi remedium inventum fuisset *argentum vivum*.

MORBI naturam, historiam, & progressus ita diserte exposuit doctissimus Astrucius (*a*), ut nihil amplius ad ejus cognitionem requiri possit. Modum autem, quo vires suas in corpore exerit ponderosus hic liquor, ipse olim fatis, ut opinor, adjunctis etiam cautionibus aliquot necessariis, dilucide explicui (*b*). Illud igitur solum restat, ut super incommodo uno & altero, quae morbo huic, partim ex ipsius natura, partim ex mala curatione superveniunt, monita quaedam suggeram.

ET primo quidem infestus casus est jugis ista, quae gonorrhoeam interdum excipit, humoris mucosi destillatio. Pertinax id profluvium tam ex vesiculis feminalibus, quam ex glandulis, *prostatis* dictis, provenit, corrolis vi morbi canaliculorum oribus; illosque maxime fatigat, qui ad expellendum virus conceptum for-

(a) *De morbis venereis. Lutetiae Parisiorum, MDCCXL.*

(b) *Essays on poisons, MDCCXLVII. Essay IV.*


fortioribus catharticeis nimis diu corporis debilitarunt.

BALSAMICIS partes laxatas confirmare nituntur Medici, at frustra plerumque sunt. Mihi multis jam annis in usu fuit hujusmodi tinctura: *Rhabarbari* drachmae tres, *gummi guaiaci* fesquidrachma, *laccæ* drachma una, *cantharidum contusarum* drachmae duae, *coccinellæ* semidrachma, in spiritus vini rectificati fesquilibra infunduntur, & fit colatura. Hanc efficacissimam esse semper expertus sum, & Medicis Chirurgisque quamplurimis commendavi. Guttae autem triginta, ad quinquaginta usque (quantum scilicet sine urinae difficultatis metu ferri poterit) mane, & hora decubitus, ex aquae tepesfactae haustulo assumuntur.

NON raro autem, morbo per longum salivæ fluxum depulso, febris hæctica corpus debilitatum occupat. Ubi id accidit, decoctum ex *lignis guaiaci & sassafras*, *radicibusque Chinæ & sarsaparillæ*, adjuncto *glycyrrhizæ*, *feminumque coriandri* aliquantulo, copiose bibendum est; lacte commisto. In decocti autem hujus usu, usquequo refectæ fuerint vires, persistere oportet.

DENIQUE non alienum erit monuisse, tempus proritandæ salivæ, quo noxii humores expellantur, maxime opportunum id esse, cum aut pustulae per corpus, aut ulcuscula in ore praefertim & faucibus, jam aliquandiu proruperint; neque tamen ossa, quibus proxime instat caries, corrumpi coeperint. Metus enim est,

est, ne lamellae osseae, putredini jam obnoxiae, ponderosa globulorum metallicorum vi diffringantur. Idcirco usu medicamenti par-
ciori hanc curam longius protrahere, quam festinare, satius est.



C A